



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 2. De interdicti effectibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

Secl. I. De Interdicto Recept. Sentent. 293

terdicto locali dedere, nullibi possunt audire, vel perfoluere diuina officia. Posito autem interdicto locali, non possunt ciues illius loci, imo neque exteri in loco interdicto celebrare. *e. Sicut de sent. excomm. in 6. Syluest. v. Interdictum 2. n. 7. Reginald. l. 3. n. 5.*

⁴ Interdictum locale generale illud est, quo interdicuntur loci vniversalis, idest, Regnum, aut Prouincia, aut Diocesis, aut Ciuitas, aut Villa, aut Castrum. Vnde interdictum Parochia est generale, si per eam intelligatur totus ambitus alicuius Castri. Si vero in Ciuitate, vel Oppido, vel Castro sint alia Parochia, non est generale, sed speciale. Multo magis erit speciale, non generale, quando interdicuntur aliquae Ecclesiae, vel omnes cuiuscumque loci. Vnde diuina officia poterunt extra Ecclesiam celebrari, scilicet in domibus priuatis, in quibus aliqui priuata habent sacella. *Suarus disput. 3. 2. sect. 1. n. 7. Henric. l. 1. c. 4. n. 3. Fill. tr. 18. nu. 5. Sayr. l. 3. c. 1. n. 13. & 14.*

⁵ Interdictum personale generale est, quo interdicuntur generaliter populus totius Regni, vel Prouinciae, vel Ciuitatis, vel Villae, vel Castris. Speciale vero, quo interdicuntur pars aliqua populi, & communitatis. Interdicto populo, non intelligitur interdictus Clericus, & e contra Interdicta autem familia interdicti censentur Clerici, & alij eiusdem familiae. Quia interdictum simpliciter in personas illius familiae fertur. Quando interdicuntur Doctores alicuius Ciuitatis, vel Collegij, intelliguntur etiam interdicti Clerici Doctores. Quia nomen Doctoris tam conuenit Clerico, quam laico. Interdicto vero populo Ciuitatis non intelliguntur interdicti qui in suburbis habitant, quando non sunt de populo Ciuitatis: alias interdicti censentur. *Valent. tom. 4. d. 7. q. 18. pun. 2. Nauarr. sum. c. 27. n. 167. Auila de Conf. p. 5. d. 1. dub. 9. c. 5. Vgol. tab. 5. c. 20. §. 5.*

⁶ Communitatis interdicta ciues, qui absunt, dum interdictum fertur, ei subiacent. Quia sunt pars Communitatis interdictae. Si vero habeant actu domicilium alibi, vel alio transferant domicilium, desinunt interdicti esse, modo ipsi causant culpabilem interdicti non dederint. Populo interdicto, non intelliguntur interdicti exteri alterius Ciuitatis, vt sunt Scholares, quamuis ad longum tempus ibi habitent. Quia non sunt pars illius populi, vel Communitatis. Qui autem habent duo domicilia, vnum in eo loco, in quo totus populus est interdictus: aliud in alio loco, vbi non est interdictus, interdictus etiam erit. Quia ex domicilio, quod in interdicto populo obtinet, pars est illius communitatis. *Sayrus lib. 3. cap. 4. num. 2. Vgol. tab. 5. cap. 20. §. 5. Nauarr. cap. 27. num. 167. Filiucius tract. 18. num. 14. Bonacin. disputat. 5. punct. 1. numer. 17.*

⁷ Pueri, & amentes carentes rationis vsu, communitate interdicta, interdicti minime censentur. Quia non sunt culpae capaces. Priuantur tamen Ecclesiastica sepultura interdicti tempore. Quia est interdictum locale directe afficiens locum. Porro per interdictum generale personale latum contra aliquam Communitatem, intelliguntur interdictae singulares personae, quae sunt pars illius communitatis. Quia non interdicuntur communitas abstracte sumpta. *Fil. Esob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.*

lucius tractatu 18. numero 24. Sayrus lib. 3. cap. 1. numer. 23. Suarius disputat. 3. 2. section. 2. numer. 13.

Aliqua Ciuitate interdicta, intelliguntur etiam interdicta esse suburbia, idest, aedificia, quae sunt extra muros Ciuitatis, vel illis contigua, aut vicina. Et hoc valet, etiam si loca illa sint alterius Diocesis, & non subdita Iudici Ecclesiastico, a quo latum fuit interdictum. Quia tunc illa suburbia non censentur interdicta ab Episcopo, sed a iure communi. *Suarus disputat. 3. 2. section. 2. numer. 32. Coninch. disputat. 17. num. 18. Filiucius tract. 18. num. 8. & 9.*

Interdicta aliqua Ciuitate per interdictum locale generale, etiam Religionum Ecclesias, quae alias sunt exemptae censi interdictas Tridentinum statuit. Vnde Religiosi tenentur interdictum locale generale obseruare. Per interdictum tamen speciale non potest Episcopus Ecclesias exemptas interdicere. Quia ius id ei non permittit. *Tridentin. sess. 15. capit. 12. & 22.*

Ecclesia interdicta, intelliguntur interdicta esse Capellae, ac coemeteria Ecclesiae contigua. Quia censentur vnum corpus, & accessorium sequitur principale. Contigua dixerim ea, quorum extrema sunt simul, seu quorum extremitates se inuicem tangunt, itavt inter vnum, & alteru aliud aliquid non interponatur. *Nauarra capite 27. numero 167. Sayrus libro 3. capite 2. numero 16. Reginaldus libro 3. numero nono.*

In personali interdicto non includitur Iudex, qui illud tulit. Quia non potest se ipsum interdicere, cum non habeat iurisdictionem coactionem in se ipsum: sicut neque habet in Superiorem, vel aequalem, sed solum in subditos. In locali vero interdicto includitur etiam ipse Iudex, vel superior, vel aequalis. Quia effectus interdicti sunt instituti a iure communi: in iure autem communi non potest Iudex inferior Papa dispensare. Vnde Iudex, qui locum aliquem interdixit, tenetur abstinere ab officiis in eo loco perfoluendis. Quia hic est effectus a iure communi introductus, in quo non potest dispensare. *Coninch. disputat. decima septima, dubio decimo octauo, numero vigesimo quinto. Nauarra capite vigesimo septimo, numero 161. Sayrus lib. 3. cap. 3. num. 68. Filiucius tractat. 18. num. 26.*



CAPVT II.

De Interdicti Effectibus.

Interdicti effectus ad tria capita reuocatur. Primum est priuatio actiua, & passiua quorunda Sacramentorum. Secundum, priuatio actiua, & passiua diuinorum officiorum. Tertium, priuatio similis Ecclesiasticae sepulturae. *cap. Si ciuitas. cap. Alma mater, de sent. excomm. in 6. Hi effectus communes sunt proportionaliter omni interdicto tam locali, quam personali.*

⁸ Ciuitate interdicta, suburbia intelliguntur etiam interdicti.

⁹ Et Ecclesia Regularium si interdictum locale generale sit.

¹⁰ Ecclesia interdicta, intelliguntur interdicta esse Capella coemeteria.

¹¹ In personali interdicto non includitur Iudex, qui id tulit, in locali vero includitur.

¹² Effectus interdicti ad tria capita reducuntur.

& utriusque tam generali, quam particulari. Singula expendo capita.

Primus effectus, seu privatio alicuius, & passiva Sacramentorum.

13
De Baptismo & Confirmatione interdicti localis tempore.

Interdicti localis tempore, siue sit generale, siue particulare, Sacramenta Baptismi, ac Confirmationis possunt administrari paruulis, & adultis, sanis, & infirmis, idque solemniter cum catechismis, exorcismis, vñctione Chrismatis in vertice, publice, & apertis ianuis. Vnde Parochus, cuius Ecclesia est interdicta, non tenetur, aliam non interdictam adire, vt Sacramentum Baptismi administret. Quia illius Parochia quoad hunc effectum interdicta non est. *Quoniam a. Alma mater, de sent. excomm. in 6. Sayr. lib. 5. cap. 7. numer. 3. Filiucius tractat. 18. numer. 31. & 2. Suarius disputation. 33. section. 1.*

14
De eisdem tempore interdicti personalis.

Sacramentum vero Confirmationis recipere potest personaliter interdictus interdicto personali generali. Ille autem, qui personali speciali interdicto ligatus est, aut qui dedit interdicto causam, ad hoc Sacramentum admitti non potest, nisi prius condignam satisfactionem praescriptam ab Ecclesia praestiterit. Quia hic est reus culpa, & contumacia. Licetum est quidem Baptismum etiam solemniter ministrare, qui interdicto personali generali afficitur. Personae vero specialiter interdictae non licet extra necessitatem id ministrare. In necessitate autem licebit, priuatim tamen. Similiter personaliter interdictus interdicto personali generali, & qui causam interdicto non dedit, potest ministrare Confirmationis Sacramentum, sicut & Baptismi: specialiter vero interdictus minime potest. *Bonac. disputation. 5. punct. 3. Paragraph. 1. num. 4. & 6. Filiucius tractat. 18. num. 3. & 35. Suarius disputation. 33. sect. 1. num. 9. Sayrus lib. 5. cap. 7. num. 6. Reginaldus l. 32. num. 24.*

15
De Poenitentia Sacramento tempore interdicti localis generalis, & specialis.

Poenitentiae Sacramentum tempore generalis interdicti localis iure nouo conceditur tantum agrotis, quam sanis. Exiit tamen excommunicatos, qui quidem ad Poenitentiam non admittuntur interdicti tempore nisi in mortis articulo, vel nisi a superiore legitimo absolutus fuerit. Et illos, quorum culpa, dolo, vel fraude latum est interdictum. Et illos, qui auxilium, consilium, vel fauorem dedere ad patrandum delictum, propter quod interdictum est latum; hi etenim absolui non possunt, nisi prius satisfaciunt: vel si id nequeunt gerere, idoneam saltem dent cautionem de satisfaciendo: vel quando haec praestare non valent, iurent, se quamprimum poterunt, satisfacturos, simulque curaturos, vt ab aliis satisfiat. Sic statuitur *Cap. Alma, de sententia excommunicationis, in sexto*. Vnde quilibet Confessarius, qui non dedit culpabilem causam locali interdicto, potest eo tempore in loco interdicto Sacramentum Poenitentiae administrare. Quando vero specialiter est interdictus Confessarius, non potest licite hoc Sacramentum administrare, excepto necessitatis casu. An vero valide administret, *Sectionis secunda* est resolutio. *Henriquez lib. 13. cap. 45. Tolerus lib. 1. cap. 20. Co-uarruu. ad c. Alma mater. p. 2. §. 3. num. 1. Filiuc.*

tr. 18. n. 38. Suar. d. 33. sect. 1. n. 20. Sayr. l. 5. c. 7. n. 8. & 9.

Sacramentum Eucharistiae iure antiquo, & etiam a fortiori iure nouo infirmis in probabili mortis periculo existentibus tempore interdicti localis administrari potest, cum solita solemnitate, id est, cum gestatione luminarium, cum campanulae sonitu, cum recitatione Psalmorum, & cum apparatu Sacerdotis, & Christi fidelibus cum luminaribus comitantibus. Vnde foemina vicina partui, dum prima vice est paritura, vel si alias cum periculo peperit: & suscipienti periculosam navigationem: & praeturo, & ei, qui est suspendendus, licitum est, Eucharistiam administrare interdicti localis instantia, & hoc per modum viatici. Quia hi omnes in probabili periculo mortis diuertuntur. Alio vero tempore, secluso privilegio, non licet, in loco interdicto Eucharistiam recipere. Extra autem locum interdictum, licitum est, modo recipiens non sit personaliter interdictus interdicto speciali, vel generali: vel non dederit causam culpabilem interdicto. *c. Praemissus, de sentent. excomm. c. Alma mater. c. Quod in te, de poenit. Sayrus l. 5. c. 7. n. 21. & 26. Vgol. nos tab. c. 7. §. 6. n. 5. Bonac. d. 1. pun. 3. §. 2. n. 8. Nauarr. summ. c. 27. n. 169. Suarius d. 33. sect. 1. n. 28. Henriquez l. 1. c. 45. n. 2. Sacerdos vero, qui, sublato interdicto, habet ius administrandi Eucharistiae Sacramentum, potest illud ministrare interdicti tempore in mortis articulo, modo ipse non dederit interdicto causam, nec sit speciali interdicto ligatus. Similiter interdictus personaliter interdicto generali potest Eucharistiam recipere per modum viatici absque alia satisfactione, modo non dederit interdicto causam, nec sit specialiter interdictus. Ab his enim prius est exhibenda satisfactio, si exhiberi potest: sin minus cautio erit praestanda. *Coinch. d. 17. dub. 2. n. 45. Suar. d. 33. sect. 1. num. 24. & 26. Fill. tr. 18. n. 39.**

Sacramentum Extremae Vñctionis ministrandum non est interdicto personaliter, aut interdicti localis personalis, vel particularis tempore, nisi aliquibus sit ex speciali privilegio permittum. Vnde personaliter interdictus non potest hoc recipere Sacramentum in loco non interdicto. Quia interdictum personale personae afficit, & suum in illis producit effectum, vbicunque existant. Praeterea tempore interdicti localis non potest hoc Sacramentum vlli personae etiam non interdictae, quamvis sit Clericus non interdictus, in loco interdicto ministrari. Et hoc verum etiam in illis festiuitatibus, in quibus ex privilegio iuris licitum est diuina officia addere. *Cap. Quod in te, de poenit. Sayrus lib. 5. cap. 7. num. 29. Nauarr. c. 27. numer. 179. Suarius disputation. 33. section. 1. Fill. tract. 18. cap. 2. quæst. 7.*

Ordines Sacramentum administrari non potest specialiter interdicto, aut interdicti localis tempore. Quia interdictum priuat Sacramentorum perceptione, nisi aliqua specialis exceptio in aliquo sacramento fiat, quam non constat in hoc fuisse factam. Excipitur tamen casus necessitatis, v. gr. si non essent Sacerdotes, qui necessitatis tempore sacramenta conferrent, licitum esset ordinem in loco interdicto ministrare, si alius locus commodus non interdictus.

Secl. I. De Interdicto Recept. Sent. 295

reclusus non esset. Verum non interdictus personaliter potest in loco non interdicto ordines recipere, & tempore interdicti localis possunt Clerici, & laici ordines suscipere alibi, modo causam culpabilem interdicto non dederint. *cap. Non est vbi de sponsal. Vinaldus de interdict. n. 211. Henriquez l. 13. c. 45. §. 4. Sayr. l. 5. c. 7. n. 38.*

19 *De Sacramento Matrimonij.* Licitum non est personis interdictis, aut interdicti localis tempore matrimonium contrahere: nisi forte contrarium sit usu receptum. Quia licet matrimonium sit contractus, est etiam Sacramentum, quod non potest licite administrari interdicto, vel interdicti tempore, exceptis Sacramentis, quae in iure exprimuntur. *Suar. d. 33. sect. 1. n. 50. Fillucius tract. 18. c. 2. §. 8. Bonac. d. 5. punct. 3. §. 3. n. 8. Reginaldus l. 3. ar. 3. n. 28.*

20 *De Sponsalibus & Benedictionibus nuptialibus.* Sponsalia autem de futuro licite, ac valide fieri possunt siue in loco interdicto, siue inter personas interdictas. Quia nec sunt Sacramentum, neque aliquid Sacrum, sed est tantum quidam humanus contractus. Benedictiones vero, quae super coniugatos fiunt, licite sunt tempore interdicti localis generalis, modo fiant ianuis clausis (exclusis excommunicatis, & interdictis) sine solemnitate, & coniugati habeant privilegium assistendi diuinis. Imo haec benedictiones fieri possunt cum solemnitate iis diebus, in quibus licitum est perfoluere diuina officia solemniter, exceptis diebus, quos sollemnitates nuptiales ab Ecclesia prohibentur. Porro huiusmodi benedictiones haud possunt fieri super coniugatos, quorum uterque, vel alter est personaliter interdictus interdicto particulari, aut generali personali. *Suar. d. 33. sect. 1. n. 46. & 47. Couar. ad c. Alma. p. 2. §. 2. n. 7. Henriquez l. 13. c. 44. n. 1. Bonac. d. 5. punct. 3. §. 3. num. 9.*

Secundus effectus, seu privatio diuinorum officiorum.

21 *Interdicti localis tempore prohibet nuptias, & horum celebritates.* Secundus interdicti effectus est diuinorum officiorum privatio. Vnde interdicti localis generalis tempore prohibet celebrare Missas, & diuina officia loco interdicto, vti sono organorum, vel campanarum pro diuino officio. Nomine autem diuini officij intelligitur illud, quod in Ecclesia à ministro sit Ecclesiastico, seu à persona consecrata, aut deputata ad illud officium. Hinc elicio, horas Canonicas esse officium diuinum, imo Sacramentalia nomine diuini officij venire, vt sunt omnes caeremoniae Sacrae, quae ad solemnem spectant ritum Sacramentorum immediate, vel praeparatorie, vt est sollemnis benedictio nuptiarum, Templi, Vasorum Sacrorum, Corporalium, Vestium Sacrarum, Candelarum, Ramorum, Cinerum, Fötis Baptismalis aquae, aut Episcopi, litaniae processionaliter recitare cum Cruce, & superpelleis, officia vero, quae non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam non censentur prohibita, quia non censentur officia Ecclesiastica, & communia, sed priuata: vnde generalis confessio, & absolutio, Angelica Saluatoris, media benedictio, Crucis adoratio, priuata animae officia recitari solita, à Confraternitatibus, commendatio, praedicatio, purificatio mulieris *Ezech. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.*

post partum, & similia officia permittuntur. *c. Si cuius. c. Alma, de sent. excomm. in 6. Suar. d. 24. sect. 3. n. 4. Fill. tr. 18. n. 79. Sayr. l. 5. c. 5. n. 38. Reginald. l. 3. n. 32.*

Tempore interdicti cuiusvis siue localis, siue personalis obligati ad Horas priuatiu eas debent recitare, siue ad eas ex speciali voto, siue ratione Beneficij, siue ratione Ordinis Sacri teneantur. Et beneficiarij eas omittentes ad restitutionem fructuum pro rata omissionis obligantur. *Nauarra summa capite 27. numero 175. Fillucius tractatu 18. numero 62. Sayrus l. 5. c. 5. n. 10.*

Iure nouo Bonifacius VIII. in c. Alma mater concessit, vt diebus singulis tempore interdicti localis generalis in Ecclesiis, & Monasteriis possit Missa cum quadruplici moderatione celebrari. Prima, vt submissa voce celebretur. Secunda, vt ianuis clausis. Tertia, non pulsatis campanis. Quarta exclusis excommunicatis, & interdictis. Annotarim vero circa haec moderationes, quod quando celebratur, ita ianuae claudi debent, vt illi, qui interesse prohibentur, diuina officia videre non valeant, & tam submissa voce Missa dicenda est, vt cantores non possint moraliter loquendo audiri à prohibitis extra Ecclesiam existentibus. Praeterea quamuis licitum sit campanas pulsare ad conuocandum populum ad concionem, ad comitandum Eucharistiam, quae infirmis ministratur, vel ad Salutationem Angelicam, vel ad indicandum populo festi diei sollemnitate, ad ostendendas reliquias: ad diuina tamē officia pulsare non licet: imo in Missa Sacrificio licitum non est vti tintinnabulo ad Sanctus, vel cum Hostia eleuatur. Loco autem campanae adhibenda est tabula cum mactaca, vel tuba; quia haec instrumenta verita non sunt, cum nomine campanae non veniant, *c. Alma mater, de sentent. excomm. in 6. Fillucius tract. 18. numer. 69. Henriquez libr. 13. capit. 46. numer. 1. Coninch. disp. 17. dub. 2. num. 33. Nauarr. cap. 27. num. 177. Suarius disputation. 14. sectio. 3. num. 12. Reginaldus lib. 3. n. 34. Sayrus lib. 5. c. 5. num. 5.*

Inter locale generale interdictum, & locale speciale ea est differentia, quod tempore specialis localis licitum non est diuina officia, vel Missas diebus singulis celebrare, sed solummodo licet, semel in hebdomada celebrare Missam ad Eucharistiam renouandam in loco, vbi Eucharistiae Sacramentum asservatur, sicut licitum iure antiquo erat, circa hoc enim nihil iure nouo sanctum reperi. Caterum inter locale, ac personale interdictum differentia est, quod personalis tempore personae interdictae personaliter interdicto particulari, vel generali Missas celebrare, & illis interesse non possunt. *Reginaldus lib. 3. n. 33. Nauar. summ. cap. 27. n. 173. Sayr. l. 5. c. 5. num. 8. & 9. Henric. lib. 3. c. 44. num. 1.*

Aliqua festiuitates assignantur in cap. Alma mater, in quibus est licitum tempore interdicti localis generalis (non vero specialis) celebrare Missas, ac diuina officia publice, & solemniter cum campanarum sono, interdicti apertis ianuis, alta voce, admissis interdictis, etiam illis quorum causa latum est interdictum, modo ad oblationes, & communionem interesse.

C c 2 Festi

22 *Localis, vel personalis interdicti tempore, obligati ad officium Canonicum.*

23 *Potest quoridie Missa celebrari quatuor adhibitis conditionibus.*

24 *Differentiam circa hoc inter interdictum locale generale, & locale speciale assigno.*

25 *In quibusdā festiuitatibus licitum est tempore interdicti localis generalis interesse.*

Festiuitates sunt Natalis Domini, Pascha, Pentecostes, Assumptionis Deiparae. Porro Martinus V. & Eugenius IV. Solemnitatem Corporis Christi cum octaua addidere. Et Leo X. adiecit diem immaculatae Mariae Conceptionis simul cum octaua. Quae quidem festiuitates incipiunt à primis vigiliis Vesperis vsque ad ipsius festiuitatis Completorium Nomine autem Natalis Domini, Pascha, & Pentecostes non solum intelligitur primus dies, sed etiam alij festiui sequentes. Coninch *disputation.* 17. *dub.* 1. *nu.* 37. Sotus, Auila, & alij apud Bassæum verbo *Interdictum* 2. *numer.* 16. Rodriguez *capit.* 116. *numer.* 8. Nauarr. *capit.* 27. *numer.* 184.

26
Quae perso-
nae tempore
interdicti
localis ge-
neralis pos-
sint ad di-
uina admit-
ti.

Interdicti localis generalis tempore aliqua personae ad diuina officia possunt admitti, nempe infantes rationis vsu carentes, an fœces. Quia non sunt praecepti, & obligationis capaces. Item Clerici non coniugati, etiam extranei, modo ipsi non sint excommunicati, vel interdicti, nec causam culpabilem interdicto dederint. Clerici vero coniugati, qui non sunt additi alicui ministerio Sacro, tanquam saeculares reputantur, quamuis gestando tonsuram, & Clericalem habitum privilegium Canonis, & fori gaudeant. Laici autem non habentes privilegium non possunt ad Missam, & ad diuina officia admitti. Porro habens privilegium diuinis interessendi, potest simul cum sua familia diuina audire, modo inter eos non adsit aliquis, qui causam culpabilem interdicto dederit. Nomine demum familiae uxorem, filios, nepotes, seruos, ac famulos intelligo. Suarius *disputation.* 34. *section.* 1. *numer.* 33. Coninch *disputation.* 17. *dub.* 2. *num.* 27. Nauarr. *summ.* *cap.* 27. *num.* 175. Sayrus *lib.* 5. *capit.* 5. *numer.* 35. Filliucius *tractat.* 18. *numer.* 71. Reginaldus *lib.* 32. *num.* 35.

*Tertius effectus, seu Ecclesiastica
sepulturae & ingressus Ecclesiae
priuatio.*

27
Huiusmodi
priuatio se-
pulturae ex-
penditur.

Interdicti tam localis, quam personalis generalis, aut specialis est priuatio Ecclesiastica sepulturae, & ingressus Ecclesiae. Sepulturae priuatio est, non posse sepeliri in loco ab Episcopo consecrato, vel in cœmeterio ab Episcopo benedicto, vel in loco, ubi diuina peraguntur, vel cum pompa funerali Ecclesiastica. Vnde interdicti tempore localis non possunt laici, quamuis non interdicti sepeliri in loco Sacro interdicto, & multo minus interdicti, & excommunicati. Laici vero, qui non sunt personaliter interdicti, nec causam culpabilem interdicto dederint, possunt tempore interdicti sepeliri in loco Sacro non interdicto; interdicti vero in campo, vel in cœmeterio ab Episcopo deputato, non tamen benedicto. Præterea laici, qui habent privilegium diuinis officiis assistendi tempore interdicti, possunt obeuntes in loco Sacro humari, quamuis in privilegio non exprimitur sepultura. Quia cui principale est concessum, hoc est, posse diuinis interesse, ei videtur etiam concedi accessorium, quod est sepultura. Clement. 1. *de sepultur.* Suarius *disput.* 35. *section.* 1. Coninch *disput.* 17. *dub.* 2. *num.* 32.

Nauarr. *cap.* 27. *num.* 181. Reginaldus *lib.* 32. *num.* 37. Syluest. verbo *Interdictum* 5. Sayrus *lib.* 5. *capit.* 8. Filliucius *tractat.* 18. *capit.* 4.

Interdicti localis tempore non possunt infantes, vel amenes in loco sacro sepeliri. Quia per locale interdictum locus fit sepultura incapax cuiuscumque sit cadaver. Tempore autem interdicti personalis generalis nequeunt hi in loco sepeliri Sacro. Quia videntur hi alij, quia ratione communis pars. Tempore vero interdicti personalis specialis possunt sepeliri in loco non interdicto. Quia ipsi non afficiuntur interdicto speciali: ideoque nec ex parte personae, nec ex parte loci adest impedimentum. Henricus 1. 1. *cap.* 42. *nu.* 3. Fillius 18. *nu.* 70. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 5. Nauarr. *capit.* 27. *num.* 168.

Laicus autem, qui tempore interdicti sepultus fuit in loco non Sacro, sublati interdicto, exhumandus est, & sepeliendus in loco Sacro. Quia Censura sublati, cessat etiam illius effectus. Laicus vero, qui causam culpabilem interdicto non dedit, nec interdictus est, sepelitur illicite in loco interdicto Censura durante, non est exhumandus, vt in loco non Sacro sepeliatur. Sæ verbo *Interdictum*, *numero* 25. Sayrus *lib.* 5. *capit.* 8. *numero* 21. Henricus *lib.* 13. *capit.* 44. *numero* 5. Filliucius *tractat.* 18. *num.* 97.

Qui sepelit laicum interdictum interdicto personali generali, non peccat. Quia interdictus solum interdicto generali, vitandus non est. Idem dixerim de sepeliente in loco interdicto, antequam locus denunciatus fuerit esse interdictus. Sepeliens autem interdictum specialiter ac nominatim, excommunicationem latam in Clement. 1. *de sepultur.* incurrit. Ille vero censetur specialiter denunciatus, qui est membrum alicuius communis, quæ interdicta denunciata est. Suarius *disputation.* 35. *section.* 3. *num.* 2. Reginaldus *lib.* 32. *numer.* 38. & 47. Coninch *disputatione* 17. *dubio* 2. *numero* 75.

Porro interdictus ab Ecclesiæ ingressu, non potest in Ecclesia, vel cœmeterio sepeliri, nisi signa dederit contritionis: tunc enim potest absolui, & in loco Sacro humari. Præterea huiusmodi interdictus priuatur actione, seu exercitio Ordinis Sacri in Ecclesia: & consequenter non potest celebrare, & ministrare Sacramenta, imo fit irregularis exercendo Sacros Ordines in Ecclesia. Quia violat interdictum per Ordinis Sacri exercitium. Poterit tamen extra Ecclesiam celebrare, vt in tentorio aliquo, vel oratorio priuato, imo in cœmeterio. Quia interdictus ab Ecclesiæ ingressu non censetur interdictus ab cœmeterij ingressu, consequenter non prohibetur, vt valeat inibi celebrare, aut diuina audire, eo quod in rigore cœmeterium Ecclesiæ nomine non veniat, & in materia odiosa, quæ non est extendenda, versetur. Cap. 15. *qui, de sententia excommunicationis* in sexto, Reginaldus *lib.* 1. *trigesimo* *secundo*, *numero* 11. *trigesimo* *nono*, *quadragesimo*, & *quadragesimo* *primo*. Nauarr. *capit.* *vigesimo* *septimo*, *num.* 170. Sayrus *lib.* 5. *capit.* 7. *numer.* 30. Sæ verbo *Interdictum*, *numer.* 16. Filliucius *tractat.* 18. *num.* 101. & 102.

Interdi

Secl. I. De Interdicto Recept. Sent. 297

32 Interdictus ab Ecclesie ingressu formaliter audire diuina officia, & audiendo lethaliter delinquit. Quia contra prohibitionem in re graui agit. Non tamen fit irregularis. Quia non violat Censuram per ordinis exercitum. Porro si diuinorum officiorum tempore transiens per Ecclesiam alio fine, aliquid incidenter audierit, non peccat mortaliter. Quia non dicitur formaliter audire, vel interesse diuinis. Sicut neque peccat, si tempore quo diuina non celebrantur officia, ingrediat Ecclesiam, ibique priuatim oret, etiam si inibi recondatur Eucharistiae Sacramentum. Secus esset dicendum, si huiusmodi interdictus existens extra Ecclesiam, Missam audiat, vel diuina officia, quae in Ecclesia celebrantur. Quia tunc licet non sit materialiter, & quoad corpus in Ecclesia, dicitur tamen formaliter, & animo interesse. Potest tamen huiusmodi interdictus in Ecclesia actus iurisdictionis exercere in exteriori foro, vt excommunicare, & animo tamen sacramentaliter absolueret; quia absolutio est ordinis actus. Potest item Sacramenta in Ecclesia recipere, quando diuina officia non celebrantur. Quia non est priuatus vtu Sacramentorum, sed vtu diuinorum officiorum, & sepultura. Suarius *disputation. 34. section. 1. numer. 36*. Reginaldus *lib. 3. numer. 41*. Auila *disputat. 5. cap. 5*. Coninch. *disputation. 17. numer. 59*. Filliucius *tractat. 18. numer. 104*. Sayrus *lib. 5. capit. 7. numer. 11*. Henriquez *lib. 13. capit. 3. numer. 1*.

33 Clerici, seu aliquo ordine, vel tonsura initiati, Religiosi, ac Moniales eorumque Nouitij, non interdicti, qui interdictum seruauerunt, & ei causam culpabilem non dedere, possunt tempore interdicti localis generalis, vel etiam specialis sepeliri in loco specialiter etiam interdicto, id est, in Ecclesia, vel coemeterio Sacro, modo id fiat sine solemnitate, & sine campanarum sono. Imo post *cap. Alma mater* possunt sepeliri cum diuino officio, & Missa, adhibita eiusdem Capituli moderatione, id est voce submissa, ianuis clausis, interdictis, & excommunicatis exclusis. Quod si coemeterium extra Ecclesiam existat, officia celebrari poterunt in Ecclesia, seruata solemnitate à *Cap. Alma mater* praescripta, deinde in coemeterium cadauer cum silentio transferri. *Cap. Quod in tel. de poenit. & remiss. Nauarr. summ. cap. 27. num. 176*. Henriquez *l. 13. c. 44*. Reginaldus *l. 32. num. 17*. Sayrus *l. 5. c. 8. n. 6. & 13*. Suarius *disp. 35. sect. 1. & 3*.

CAPVT III.

De peccatis, & poenis violentis interdictum.

34 Delinquit lethaliter ex suo genere laicus violans interdictum locale generale, speciale, vel personale. Quia agit contra prohibitionem Censurae in graui materia. Hec doctrina ab omnibus recipi. *Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.*

tur quoad violentes interdictum personale: quoad locale variant Doctores, de quo *sect. 2*. Nullam vero poenam laici incurrunt praecise ob interdicti violationem. Quia nulla in iure expressa inuenitur, praeterquam in *Clement. 2. de sentent. excommuni. vbi ligantur excommunicatione laici cogentes aliquem diuina officia celebrare in loco interdicto, aut vocantes alios interdictos, vt diuinis officiis intersint, quae in loco interdicto celebrantur: aut prohibentes, ne interdicti exeant, postquam fuerint admoniti, à celebrantibus recedere*. Suarius *disputation. 34. section. 5*. Sayrus *libro 5. capite 14. numero 3*. Filliucius *tractatu de imo octauo, numero 54. & 81*.

Clericus vero tam saecularis, quam Regularis violans interdictum tam locale, quam personale, tam generale, quam speciale, mortaliter suo ex genere peccat. Quia in re graui contra praecceptum agit. Vnde violans scienter interdictum per alicuius Sacri Ordinis exercitum irregularitatem incurrit, & suspensionem ab officio: consequenter à iurisdictione interdictum locale violando. Praeterea incurrit interdictum ab Ecclesiae ingressu, qui violat interdictum locale saltem generale. Insuper violator electione actiua, & passiua priuatur: imo per sententiam potest beneficio priuari. Regulares autem non seruantes Cessationem, vel interdictum locale generale, quando ab Ecclesia Cathedrali, vel Matrice Oppidi, seu Parochiali indictor, ipso facto excommunicantur à iure, etiam si re ipsa interdictum sit nullum. *Cap. 15. de sent. excomm. in 6. c. Tanta. de excess. b. Pr. lat. c. Episcoporum, de priuil. c. 1. qui, de sent. excomm. c. Postulatis, de Cleric. & Clement. 1. de sentent. excomm.*

Potest interdictum à Clericis tripliciter violari. Primò, dum Clericus vinculo interdicti ligatus exercet Ordinum functionem Sacramentalem conferendo. Secundò, dum ipse non est interdictus, sed Sacramenta in loco interdicto confert. Tertio, dum nec ipse, nec locus est interdictus, sed Sacramenta interdicto ministrat. In primis duobus casibus irregularitas incurritur, in tertio autem crediderim non incurrere, quia hic casus non est in iure expressus. Suarius *disputation. 34. section. 5. numer. 8*. Filliucius *tractat. 18. numer. 56*. Bonacin. *disputation. 5. punct. 7. num. 4*.

Clericus interdictum violans per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium, irregularitatem non incurrit, dum illam vt laicus exerceat actionem. Vnde Clericus sepeliens interdicti cadauer in loco interdicto sine diuinis officiis non fit irregularis. Nec qui tempore interdicti campanas pulsant, ad conuocandum populum ad Missam, sed postea re ipsa Missam non celebrat, irregularis fit, sed mortaliter delinquit. Qui vero audit Missam, diuina officia, vel eorum partem notabilem in loco interdicto, lethaliter peccat, sed irregularitatem non incurrit. Quia auditio non est Ordinis Sacri actio. Nec Clericus interdictus recipiens Sacramenta, irregularitatis vinculo illigatur. Quia receptione Sacramentorum Ordines non exercet. Ceterum Sacerdos matrimonio assistens, aut priuatim baptizans, irregularis

C c 3 non

35 Peccata, ac poenas Clericorum saecularium, aut Regularium, interdictum violantium enuncio.

36 Interdictum potest à Clericis tripliciter violari.

37 Quando Clericus interdicti violator peccat, sed irregularitatem non incurrit.